

in gloria, seu præmio. Et dicimus quod gratia imperfecta, quæ de facto fuit data Angelo pro statu viæ, fuit gratia ut regulata lumine fidei; eam enim habuisse Angelum docet S. Thomas 2-2, quæst. v, art. 1, et concors theologorum sententia, quia auctoritates Scripturæ, quibus dicitur fidem esse necessariam ad salutem, ita generaliter, et præcise loquuntur, ut sine dubio non solum homines, sed etiam Angelos comprehendant, sicut cum dicitur ad Hebr. xi: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*: ad Rom. i et Galat. iii: *Iustus autem ex fide vivit*. Ergo cuicumque convenit justum esse, et ad Deum accedere, et Deo placere, fidem habere debet. Angeli autem justificati sunt per gratiam, et accesserunt ad Deum per merita, et placuerunt Deo: ergo habuerunt fidem. Et præsertim, quia in his supernaturalibus æqualiter apud Deum censentur homines, et Angeli: est enim in civitate illa cœlesti: *Mensura hominis etiam mensura Angeli*, ut dicitur Apocalypsis xxi. Et in ipsa gloria promittitur hominibus æqualitas cum Angelis, Matthæi xxii, et Marci xii; ergo et in merito, seu gratia, atque adeo si homines in merito regulantur per fidem, etiam et Angeli. Si ergo gratia imperfecta, qua Angeli meruerunt, fuit gratia regulata per fidem, fides autem impossibilis est cum visione gloriæ: ergo repugnat quod in eodem instanti sit actus fidei, et visio gloriæ. Nec Cajetanus dubitat de impossibilitate fidei cum visione, cum pugnent penes evidentiam, et inevidentiam circa idem, et expresse id doceatur a D. Thoma 1-2, quæst. lxxvii, art. iii. Sed fortasse dicet meritum puræ viæ regulari per fidem, meritum vero in termi-

no, non. Hoc tamen est inconveniens, quia meritum termini vel regulatur per ipsam visionem gloriæ, vel per scientiam infusam claram, vel per fidem: nec enim est alius modus cognoscendi Deum supernaturaliter. Per fidem non potest esse stante visione gloriæ in eodem instanti. Per scientiam infusam claram non constat regulari illud meritum in illo instanti: nec enim constat aut fundamentum est ut dicamus talem scientiam infusam loco fidei succedere in illo secundo instanti antecedenter ad gloriam: nec enim ex Scriptura, aut patribus aliquid tale habetur, sed fidei solum succedit visio gloriæ, et ita cum constet non minus Angelos habuisse fidem in via ad merendum, quam homines, nec aliunde constet eis scientiam claram infundi de mysteriis fidei, ante gloriam sine ullo fundamento ponetur tale meritum in termino non regulatum a fide, sed a scientia infusa, quam nulla ratione adstruere possumus in Angelo ante visionem beatificam. Ut omittam, quod scientia infusa, quæ versatur circa res fidei, et circa ejus mysteria, non potest clare illa cognoscere, nisi supposita clara visione principiorum in quibus tales veritates continentur, quia nulla scientia potest clare cognoscere conclusiones si principia sint cognita obscure. Et si obscure sunt cognita, hoc ipso cognoscuntur per fidem, nam etiam scientia subalternata, dum non continuatur subalternanti, fide utitur credens subalternanti. Et cum mysteria fidei non contineantur in alio principio quam in essentia divina, si hæc obscure cognoscitur, per fidem attingitur. Quare vel illa scientia infusa cognoscit mysteria, seu res fidei evidenter in suo principio, quod est essentia divina clare, et evidenter cognita, vel obscure. Si obscure:

ergo per fidem; et sic currit argumentum factum, quod non potest simul stare meritum regulatum per fidem in eodem instanti cum visione gloriæ. Si autem cognoscuntur mysteria fidei per scientiam infusam supponentem cognitionem claram suorum principiorum, scilicet essentia divina: ergo talis scientia infusa oritur ex visione beatifica, et supponit illam: ergo si per talem scientiam regulatur meritum illud quod vocatur meritum in termino, a fortiori regulabitur per visionem beatam, quæ est principium, et origo talis scientiæ, eamque præcedit, sicut cognitio principiorum cognitionem conclusionum. Non potest autem visio beata regulare meritum sive puræ viæ, sive termini, quia sic visio beata esset principium meriti, utpote in illud influens, ipsumque regulans: ergo caderet sub meritum principium meriti, quod repugnat. Et præterea, quia visio beata essentialiter est præmium: ergo repugnat quod præcedat meritum, ipsumque regulet, ita quod prius habeat præmium, et postea per actus ab eo procedentes mereatur illud, cum potius meritum sit id, ratione cuius datur tantum, vel tantum præmium. Et licet in diverso genere causæ possit meritum præcedere præmium, et e contra, tamen hoc non potest intelligi taliter quod præmium præcedat meritum per modum regulantis, et dirigentis, seu tamquam cognitio præsupposita ex qua oriatur meritum directive, quia sic influeret in meritum, sed semper debet supponi meritum regulari ab alio, quam a suo præmio; et sic in alio genere causæ poterunt se ad invicem causare videlicet, in ratione causæ finalis, et dispositivæ (meritum enim disponit ad præmium, et præmium est terminus, seu finis illius) in hoc enim pote-

runt ad invicem se causare. Ratio est, quia si visio beata, quæ est præmium, regularet meritum, prius haberetur præmium, et esset assecutum, quam poneretur meritum. Meritum autem essentialiter tendit ad hoc ut detur, et habeatur præmium: ergo repugnat quod procedat meritum a præmio ut habito, et influente in se: ergo repugnat quod ab eo reguletur, et oriatur, cum essentialiter tendat ad illud ut assequendum.

Ex his ergo manet exclusum illud meritum non viæ, sed termini, quod ponit Cajetanus et quod dicit non esse incompatible cum visione gloriæ in eodem instanti: constat enim ex ratione D. Thomæ meritum procedere ex gratia imperfecta, scilicet ex fide quæ compati non potest cum consummata, quæ est clara visio gloriæ; de facto enim non est data alia gratia, quæ regulet, et mensuret actus meritorios nisi fides: a visione autem gloriæ meritum mensurari, et oriri non potest.

XXVIII. Quid vero dicendum sit ad quæstionem insinuatam de possibili, an scilicet possit aliquis de potentia absoluta mereri per aliud principium, quod non sit fides, sed compatibile sit cum ipsa visione gloriæ, et ita possit in eodem instanti in quo est meritum, esse et præmium, seu glorificatio ipsa, non taliter quod procedat ille actus a visione gloriæ, nec per illam reguletur, sed quod procedat ab alio principio, et cum eo concomitetur in eodem instanti durationis visio beata, id operosius alibi disquirendum est, scilicet agendo de merito Christi, an potuerit gloriam animæ mereri, et tamen non habere habitum fidei, qui imperfectionem importat. Nunc breviter duo adverto pro aliqui luce hujus difficultatis.

Alterum est, non videri possibile



quod meritum procedat, et regulatur per cognitionem supernaturalem, quæ non sit visio beata, et non sit fides, ut ex dictis constat, quia cognitio supernaturalis, quæ regulat meritum, est cognitio mysteriorum fidei, scilicet cognitio Dei, et eorum quæ ad Deum spectant: debet enim ad meritum concurrere charitas, et hæc versatur circa Deum; et sic oportet quod reguletur per cognitionem illius, et eorum quæ ad Deum pertinent. Cognitio autem supernaturalis de Deo, aut est per visionem beatam, aut per scientiam infusam evidentem, aut per fidem. Visio beata non potest regulare meritum: sic enim non concomitanter se haberet in eodem instanti, sed influxive, et causative. Scientia infusa, cognoscit mysteria gratiæ, ut deducta, et contenta in suis principiis, quæ non sunt aliud, quam essentia divina. Et hæc si cognoscitur clare supponit visionem beatam, et ex ejus influxu cognoscit, et derivatur scientia infusa; et ita si hæc regulat meritum, a fortiori visio beata. Si autem non cognoscitur clare essentia divina: ergo cognoscitur obscure, et consequenter per fidem et sic inciditur in tertium genus cognitionis, quod est fidei. Hæc autem nullo modo potest stare in eodem instanti cum visione beata. Unde non videtur possibile quod meritum, et præmium sint simul in eodem instanti, quando meritum postulat ad sui regulationem principium impossibile cum visione beata.

Alterum, quod advertimus est, quod quando id quod datur in præmium, talis naturæ est quod de se habet universalem influxum in omnes actus operantis, tale præmium non potest simul esse cum merito, sed post ipsum, eo quod si est cum merito, debet influere in ipsum atque adeo esse principium ejus. Re-

pugnat autem principium meriti cadere sub merito, ut est concursus theologorum axioma. Sic autem se habent unio hypostatica, et visio beata. Nam unio hypostatica cum ponat in humanitate personam, redatque naturam subsistentem, est principium quod omnium operationum quia actiones suppositorum sunt, et subsistentium, ut alibi satis probavimus. Similiter visio beata influit in omnes actiones liberas tamquam supremum dictamen, et regula comprehendens omnes actiones liberas operantis. Nam ideo beatitudo reddit impeccabiles ipsos beatos, quia videns Deum non potest aliquod dictamen formare defectuosum, et aversivum a Deo; et sic omnes actiones illi subjiciuntur: in omnes ergo influit directive, et moraliter, quia est cognitio finis ultimi, et universalissimi, finis autem ultimus simpliciter, omnes actiones comprehendit, et in omnes influit. Non ergo illa potest solum concomitanter esse cum merito; et non influxive, quia illud meritum, et illa operatio est ex illo fine, et ex vi conjunctionis cum visione beata non potest esse peccatum.

XXIX. Ex dictis solvuntur fundamenta opposita. Nam quod attinet ad doctrinam D. Thomæ, occasione cujus Cajetanus distinxit illud duplex meritum, constat optime salvari sine tali distinctione, sed solum ponendo meritum unius rationis, scilicet puræ viæ, et tamen salvatur quod tantum habuerit Angelus unum actum meritorium, quia est unus per continuationem, dum alii discontinuarunt illum, peccando. Et ipse Angelus, qui continuavit meritum, poterat discontinuare peccando; et sic poterat facere, quod non esset illud meritum continuatione unum: omnes tamen habuerunt actum meritorium in primo creationis instanti, et immedia-

te post instans creationis, quidam voluerunt continuare e quidam peccare, et dividere impedimentum peccati præstando. Unde illi qui continuare voluerunt, non immediate post instans creationis glorificati sunt, sed adhuc in via perseverant, et in merito primi instantis; et tamen adhuc verificatur quod post unum actum meritorium glorificati sunt, quia adhuc post instans creationis ille actus meritorius idem manebat, quia continuabatur: et sic non erat diversus, neque duplex actus, sed unus, et idem actus meritorius non pure indivisibiliter unus, sed continuatione unus æquivalens pluribus malorum Angelorum, quia dum isti peccabant, et discontinuabant actus seu instantia, illi perseverabant in unitate actus sui. Qua perseverantia posita confirmati sunt in bono, eodem actu meritorio existente, et in alio instanti, seu operatione incæpit glorificatio cessante omni merito.

XXX. Ad ea vero quæ adducuntur ad inquirendum unde repugnet meritum, et præmium esse simul in eodem instanti, respondetur ex verbis supra allatis ex D. Thomæ quod repugnant ex conditionibus essentialiter impossibilibus, scilicet quia meritum est gratia imperfecta, et gloria est gratia consummata. Quæ imperfectio ex parte meriti ad gloriam est, quia debet supponere carentiam visionis, et obscure, seu per fidem cognoscere Deum. Perfectio autem gratiæ consummata est, tum in eo quod est cognitio clara Dei; tum in eo quod visio illa est influens universaliter in omnes actus operantis, non solum concomitanter se habens, sicut etiam persona in unione hypostatica est universale principium actionum ipsius subiecti, unde per nullam actionem quæ sit cum tali præmio potest cadere sub merito, alias principium

influens in meritum caderet sub merito. Et Christus Dominus merebatur ut viator, non obstante quod erat beatus, non tamen merebatur ipsam gloriam animæ, sed gloriam corporis, et alia extrinseca. Unde in aliis præmiis, quæ non sunt gloria, et unio hypostatica an possint in eodem instanti simul esse præmium et meritum, non disputo, nec contendo, saltem de possibili; licet connaturaliter loquendo non convenienter ponantur in eodem instanti meritum et præmium, si simpliciter meritum sit, et non etiam dispositio, quæ perseverat, et compatitur cum ipso præmio. Imo ex hoc judicari, et discerni debet quando meritum compatitur cum præmio, vel non, scilicet quando procedit meritum ex principio compatibili cum præmio, potestque perseverare stante præmio, nec præmium influit valorem in meritum, ut quando se habet operatio meritoria per modum dispositionis, et præmium per modum formæ: forma enim compatitur cum dispositione ex se secuta.

XXXI. Unde solvitur instantia quæ adduci solet pro sententia Cajetani, quia non repugnat in eodem instanti, quod infunditur gratia sanctificans esse actum contritionis, qui est actus meritorius, saltem de congruo respectu ipsius gratiæ: ergo bene stat meritum in termino simul cum ipso termino. Et idem est de augmento gratiæ per actum ferventiorum quo quis se disponit ad illud: simul enim infunditur hoc augmentum, et existit actus ille meritorius. Cum enim meritum sit via ad præmium, et non repugnet dari actionem instantaneam, quæ simul sit fieri, et factum esse, similiter non repugnabit quod simul sit actus meritorius, et ejus terminus, seu præmium.

Et confirmatur amplius in sen-



tentia probabili, quod in instanti separationis animæ potest dari actus meritorius, vel dispositivus ad præmium, et mensurativus ejus : ergo non est negandum quod simul sit meritum, et præmium in eodem instanti. Antecedens variis exemplis probatur. Nam in primis in sententia plurium Thomistarum probabile est, quod actus minus intensi qui meruerunt augmentum charitatis, et de facto non præbuerunt illud in hac vita, quia non proruperunt in actum ferventiorum, in illo instanti separationis prorumpunt in ferventiorum actum, et disponunt ad augmentum charitatis, et gloriæ, et tamen illud instans potest esse instans glorificationis, si anima nihil purgandum tunc habeat. Item martyrium non consummatur, nisi in ipsa morte, quia ante mortem nullus dicitur martyr; martyrium autem est actus meritorius : ergo datur meritum in termino post hanc vitam. Et idem est si quis cum attritione confiteatur, et in ipso instanti ultimo prolationis formæ separetur anima, vel sensum prorsus amittat, et sic moriatur, recipit gratiam : ergo potest in termino vitæ justificari, et beatificari : ergo et mereri.

Respondetur illas instantias nihil juvare oppositam sententiam, quia meritum illud, sive contritionis ad primam justificationem, sive ferventioris actus ad augmentum non sunt merita provenientia ex aliquo principio impossibili cum ipso præmio, sed sunt dispositiones ad talem formam requisitæ, imo ab ipsa derivatæ, et formatæ, et sic cum ipsa compossibiles. Unde non negamus meritum, et præmium repugnare simul solum ex ratione communi, et generica actionis meritoria, cum hæc instantanea esse possit, et simul cum termino, sed ex ratione speciali talis meriti, et talis præmii, quatenus a principiis in-

compossibilibus procedunt, ut dictum est.

Ad confirmationem etiam patet ex dictis. Nam ille ferventior actus, qui tunc prorumpit in instanti separationis jam non est meritorius, quia est extra statum viæ, sed est dispositivus ad illud augmentum, sine novo merito. Talis autem dispositio non est incompatibilis cum illa forma, quæ est gloria, sed ejusdem rationis cum illa, et cum ea perseverans. De martyrio dicimus non consummari ejus meritum in ipsa morte in facto esse, sed in ipsa morte in fieri, id est, immediate ante separationem animæ, aut quando ex vi passionis redditur inevitabilis ipsa mors, seu cum aliquis voluntarie patitur inflectionem mortis, ut docet S. Thomas 2-2, q. cxxiv, art. iv ad iv. De illo qui in momento separationis accipit absolutionem, quia ibi terminatur prolatio verborum, si non habet nisi attritionem, certius est non justificari, quia in instanti intrinseco separationis sacramenta non operantur, quæ sunt signa sensibilia recepta in homine, tunc autem jam non est homo. Secus est si tunc incidat in amentiam, quia in illo instanti adhuc est homo, licet non exerceat functiones humanas. Non requiritur autem ad hoc ut recipiatur Sacramentum, quod subjectum actu exerceat liberas actiones, sufficit quod existat vere homo, et ante exercuerit illas actiones, nec retractaverit. Potest tamen in instanti separationis sibi remitti peccatum veniale, sed tunc in illo instanti non habebit gloriam, quia restabit poena illius luenda in purgatorio, de quo D. Thomas in iv, dist. xxi, qu. i, art. iii. Vel si in eodem instanti tota poena illi irrogetur a Deo, adhuc non merebitur simul cum gloria, quia est extra statum viæ, sed satisfaciet.

XXXII. Ex dictis colligitur, non

repugnare quod peccatum Angeli, et poena illius simul in eodem instanti detur, de facto tamen incœpit poena dæmonum quando et gloria Angelorum, fuitque instans tertium in dæmonibus quo terminata est illorum via, secundum autem in Angelis. Prima pars deducitur ex dictis, quia demeritum est culpa, quæ non est impossibilis cum damnatione, nec a principio aliquo ei impossibili procedit, imo cum ipso statu damnationis vehementius crescunt peccata : non ergo cessant peccata adveniente supplicio : ergo possunt simul esse in eodem instanti peccatum Angeli cum obstinatione, et simul cum supplicio. De facto tamen præcessit in Angelis instans peccati, et fuit ante instans damnationis, non propter impossibilitatem, sed propter diversitatem actionum, quia aliquæ actiones fuerunt in Angelis peccantibus quæ cessaverunt in damnatione, et supplicio eorum. Ergo fuerunt diversa instantia, quia instantia in Angelis distinguuntur penes diversos actus, quorum unus cessat, alio adveniente. Antecedens patet, quia Angeli peccantes non fuerunt puniti quamdiu erant in cœlo, sed cum ex illo projecti sunt. At quando erant in cœlo, fuit pugna inter Angelos bonos, et malos, Apocalyp. xii : *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, etc.* cum ergo exercebatur pugna, jam Angelus peccator erat, quia draco erat, et tamen adhuc non damnatus, quia adhuc in cœlo erat, et illa pugna cessavit, cum projectus est de cœlo, et punitus in inferno : ergo aliquod instans cessavit in damnatione, quod durabat in culpa, quia instans, operatio est. Nec obstat quod post unum instans immediate est tempus ; et sic in illo tempore immediate post neque essent in termino, quia non-

dum incœperat damnatio, neque in via quia cessaverat instans peccati. Contra enim est, quia instantia in Angelis non se habent sicut instantia nostris temporibus, quæ ex partibus motus procedunt, et inter illas colligantur, sed sunt indivisibiles durationes perfectæ, ab omni motu divisibili independentes ; et sic immediate se habet unum instans ad aliud, transitque Angelus ab una duratione indivisibili unius operationis ad aliam sine media divisibilitate motus. Quare Angeli in alio instanti puniti sunt, in aliquo peccaverunt. Peccaverunt pugnando, et negotiando multa, cessavit pugna, et negotiatio, seu suasio aliorum in ipsa damnatione. Incœpit in damnatione passio, et poena acerbissima ignis, multaque peccata in Deum ut blasphemiam, odium, aliaque similia, quæ in damnatione perseverant. Quando autem aliqui patres dicunt initium damnationis in ipsa aversione Angelum invenisse, ut non sit aliud incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui, intelliguntur de initio damnationis extrinseco, quia cum fuerunt obstinati in malo, hoc ipso in tali aversione incœpit damnatio. Et eodem modo dicitur hoc fuisse Angelis lapsus, quod hominibus mors, scilicet quoad obstinationem, et inflexibilitatem ad resipiscendum, non quoad intrinsecam incœptionem supplicii, quasi cum ipso lapsu incœperit in dæmonibus.

#### ARTICULUS II.

*Quæ sit causa obstinationis in dæmonibus?*

Obstinatio in malo est firma, et immobilis adhæsiō voluntatis ad finem pravum sine ullo remedio re-